

et de Novo. Quod dictum est de istis, attendemus de omnibus. Et si predicti vel alii castellani in toto vel in parte vellent resistere Terdonensibus, ipsos Terdonenses bona fide et sine fraude iuvabimus ad hoc, ut iurisdictioni Terdone subiaceant. Et si aliquis marchio vellet Terdonam impugnare, Terdonam bonam fidem iuvabimus. Si vero marchio Montisferrati et marchio Malaspina¹ et marchio Anselmus de Bosco² guerram Terdonensibus fecerint ac^a ipse marchio Montisferrati exinde sub iudicio consulum Papie et alii duo marchiones, quos Terdonenses dicunt suos habitatores, sicuti^b Papiensium similiter et consulum Terdonensium sese ponere noluerint, in eos guerram faciemus, et hoc omni fraude remota. Item in curiis predictorum omnium, et specialiter Castelli Novi, Aciani et Pontecoroni^c, nullam rem immobilem pignori accipiemus nec aqistum aliquod in feudum nec in alodium in curiis predictorum locorum faciemus, nisi illud forte, quod consules Terdone nobis concederent seu darent pro debito, quod ille, cuius res esset, nobis dare teneretur. Nec tamen propterea Terdonensses eius iurisdictione privabuntur. Castrum nec aliquam fortitudinem in episcopatu Terdone infra predictas coherentias designatas per nos vel per alios de cetero faciemus. Nec Bagnolum^d levabimus nec possessiones ecclesiarum Terdone, que sunt in montanis, presertim in Val de Bolbedra, nec in feudum nec in alodium accipiemus, nisi forte fructus. Sacramenta, que Terdonenses, quando in suburbio habitabant, nobis Papiensibus fecerunt, eis remittimus et totum, quicquit nobis Papiensibus ab eis promissum fuit, renuntiamus. Nec dabimus opem neque consilium, quod Terdonensis episcopus amittat sua castra ab aliquo homine et possessiones, quas nunc habet et tenet, et si quis vellet ea castra, que nunc habet et tenet, auferre, ipsum bona fide iuvabimus. Et quicquit ipse habuit in Viqueria a triginta annis infra, ei non auferemus, sed permittimus ei id habere et tenere. Pedagium aliquod eis in terra nostra non auferemus nec auferri permittemus. Et eis sine

a) WEILAND (*nach* HOLDER-EGGER) *druckt* et; E. GABOTTO *liest* *gegen*. at, *woraus* HOFMEISTER (NA. 43, 104 N. 3) *wohl mit Recht* *ac verbessert*.

b) *So* WEILAND; GABOTTO: *sicut*; HOFMEISTER *konjiziert* *sub*, *was mir nicht nötig erscheint*, *da aus dem Vorausgehenden die Worte* *sub iudicio* *zu ergänzen* *sind*.

c) Pontecorioni *Hs.*

d) Bagnolium *Hs.*

¹) Opizo der bekannte Parteigänger des Lombardenbundes. ²) Im November 1180 schlossen die Markgrafen von Bosco einen Vertrag mit Alessandria (vgl. MORIONDO, Mon. Aquensia 1, 78f.; FICKER, Forsch. 3, 438).